



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Offendere veneficos periculosum esse, luculenta historia docetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

paritura, disceditur. Quin ut partum antecedere, comitari, & sublequi pericula sciamus; postquam in lucem prodijt infans, sæpe in matre plectitur, privatione exsiccationeque lactis. Nam & homines, & jumenta hoc damno afficiunt. Biebrana Laudunensis saga solis minis vbera vicinæ mulieris sic exsiccauit, ut ad obitum usque sagæ, quamuis multos peperit, lacte semper caruerit. Aliæ herbis, verbis, vel solo attactu lacte priuant homines & jumenta. Sprengerii verba sunt: *Quadam, ait, nocturnis temporibus & sacratoriis, ut q, ex inductione diaboli, ob offensam diuina maiestatis maiorem, in quocumq, angulo domus sua se collocant, & circum inter crura habentes, & dum cultrum, vel aliquod instrumentum in parietem, vel columnam insigunt, & manus ad mulgendum apponunt, tunc suum diabolum, qui semper eis ad omnia cooperatur, inuocant, & quod de tali vacca, ex tali domo, qua senior, & qua magis lacte abundat, mulgere affectat, proponit, tunc subito diabolus ex mamellis illius vacca lac recipit, & ad locum, ubi malefica residet, & quasi de illo instrumento suat, reponit. Sic multa damna opere vno inferuntur. Fit furum, vexatur dominus; fœtus spoliatur alimento, affliguntur parentes;*

Et succus pecori, & lac subducitur ignis.

Quin inter ipsos coniuges vel odia, vel ipurij amores faciunt, ut sele mutuo coniugij inutiles reddant, atque ita prætextum habeant diuertendi. *Nōrunt mecum, inquit Martinus Delrio, multi, Comitiss filium, qui ante annos ferme nonemdecim, Luxenburgii in vrina lacerulas satis magnas eiciebat, quod etsi plerique vxoris eius adultera (quam & occidi per sicarium ille postea iussit) veneficio tribuerent, potuit tamen naturaliter contingere, ex humorum corruptione, & renum vitio. Mulier illa Caluina secta erat addicta, & Ministro familiarior quam oportebat, idco nec a moribus, nec ab instituto aliena fuit vulgi suspicio.*

Quis ob hæc talia veneficos non damnet, veneficia non execretur? Omnino & artes pariter, & artifices sunt execrandi. Et tamen si vsquam est locus inter sacrum & saxum standi, hic est: quia & offendere magos, est crabrones irritare. *Honestam quendam personam, ait Sprengerus, & vni ex familiaribus archiducis matri*

monio copulata, in presentia Notarij & c. secundam formam iuris deposuit,

Virgil. Eclog. 3.

VI.

Mart. Delri. lib. 3. disq. Magic. p. 1. q. 14. lect. 6.

VII.

Sprengerus part. 2. maleic. q. 1. cap. 12.

deposuit. Cùm tempore virginitalis suae, cuidam ex civibus famula-
retur, accidit, ut uxor illius gravi dolore capitis langueret: pro cuius
curatione, cùm quadam mulier accessisset, & suis carminibus & certis
praxibus mitigare dolorem haberet, Ego (inquit) eius practicam dili-
genter obseruabam, perspexiq̃, quòd contra naturam aqua fusa in
scutellam quamdam, ipsa aqua in ollam aliam ascendisset, cum alijs
ceremonijs, qua recitare opus non est, consideransq̃, quòd ex illis dolor
capitis in domina non mitigaretur, aliquantisper indignata, hac uerba ad
maleficam protuli: Vos non facitis nisi superstitiosa, & hoc propter
commodam uestram. Tunc malefica statim subiunxit: An sim supersti-
tiosa, uel non, tertia die tu senties, quod rei probauit euentus. Nam
tertia die mane, me sedente, & fusum apprehendente, tantus dolor subito
corpus meum inuasit, primò in interioribus, ut non esset pars corporis,
in qua non punctiones horribiles sentirem: Secundo, non aliter mihi
uidebatur, nisi quòd continuè igniti carbones capiti meo superfunde-
rètur: tertio in cute corporis, a vertice usq̃, ad plantam pedis, non
fuisse spatium acis, ubi non fuisset pustula sanie repleta. Sicq̃, in his
doloribus euilando, & tantummodo mortem optando usq̃, ad diem
quartum restiti. Tandem maritus dominae meae, ut stabulum quoddam
intrarem injunxit. At ego paulatim incedendo, eo procedente, dum
ante ostium stabuli eram: Ecce, inquit ad me, pecia panni albi super
ostium stabuli. At ego: Video. Tunc ille: quantum potes remone, quia
forte melius habebis. Tunc ego quantum potui, uno brachio me ad
ostium tenente, cum altero peciam apprehendi. Aperias, inquit dominus,
& considera diligenter ibi reposita. Tunc ibi peciam solni, plura ibi in-
clusa reperi, praecipuè autem grana quadam alba, ad modum, quae
pustula corpori inerant meo, femina quoq̃, & legumina, quorum simi-
lia nec edere poteram, aut intueri, cum ovis serpentum, & aliorum
animalium intuita sum. Et sic stupefactus dum inquirerem à domino,
quidnam agendum foret? ut in ignem cuncta projicerem, injunxit.
Projeci: & ecce subito non post hora spatium, aut quartale, sed in mo-
mento, ut res illae in ignem fuerant projectae, omnem sanitatem pristina-
nam recuperari.

VIII.

Idem subdit. Mulier quadam maritata, & honesta accessit,
& juxta juris formam ut supra deposuit. Retro domum, inquit,
habeo viridarium, est & ibi contiguus hortus vicinae meae, Unde cùm
quandam